14078

Charzewicz Martinus

Behm Martini: Eucharisticon animorum —

# EVCHARISTICON ANIMORVM.

Præclaris Virtutibus, ac Insignibus meritis:

*ADMODVM REVERENDI PATRIS,*

# P. MARTINI CHARZEWICZ,

Sacræ Theologiæ Doctoris.

Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithuaniæ

PROVINCIALIS

Dignissimi.

AD METAM

Triennalis in Pastorali Officio, Cursûs.

Votiuæ gratitudinis, & Obseruantiæ ergò


In Comitijs Prouincialibus publicè

*A*

Fre: MARTINO BEHM, & cæteris Tyronibus Arenensis Spiritualis Palæstræ,

CONSECRATVM.

*Anno Eucharisticæ Salutis, 1670.*







CRACOVIÆ,

*In Officina Stanislai Piotrkowczyk, S. R. M. Typographi.*

# In Parthenicum Stemma Sacræ Religionis CARMELITANÆ.




Prædicat, Ætherei Zeloſum Stemma Prophetæ,
Nuſquam arſiſſe magis; Verticis Aſtra ſui
Vt, quando Carmele Tuo CHARZEVIUS Orbi
Præfuit: Arſit enim, totus ab Igne Dei.



# Flecte Colles, cælebs Carmele,

Animos ad Eucharisticon, non ingratos flexurus!
Quotque laureas à sæculo, Tuum comportaueras in verticem, ad diem
Cælesti persignatam calculo, protinùs reporta!
Quidquid in te fatidico afflatum Pneumate, voces dicat, vicesque.
SOLEMNIA CHARITATIS FESTA
Tuæ annuncient Charites, Ingratitudini renunciantes integrè
Virtutibus atq; meritis Charisteria extemplò,
redditura Amoris.

AD METAM NEMPE

Laboriosi Certaminis, Eliano spirans halitu,
Accurrit Zelosus Victor, Victoriosus Zelator
Trigam soluturus in Puncto.

EQVIDEM

*Si Animorum præstantior quàm Armorum expugnatio*
SARMATICI PRÆSES CARMELI
ADMODVM REVERENDVS PATER MARTINVS CHARZEWICZ
Eximius in Sacra Theologia Doctor,
Hoc argumento triumphat.

Prima Augusti Regiminis Exercitia
A dirigendo Exercitu inchoauit, vt ita omnibus inspiraret Animam;
scilicet Ordinem.

Sacer profectò Carmeli Ordo,
Disordinata nunquam questus est membra; hoc Ordinatus Capite.
Potius Odor suauitatis, hoc sub Pastore dicendus.

Ecquid mirum?

Nimirum in CHARZEVIO
*Ordinauit Deus Charitatem.*
Tres olim Antiquitati Charites, iucunditatem prælusisse, fabulantur,
Vnum Orbi Carmelitico Charitatis Filium, triennio præbuisse
fæcunditatem virtutum;
Vnanimes gratulamur Filij.

Nouerat quippe Optimus Pastor,
Inde gregi Montis Carmeli, deberi pascua; vnde cælorũ satiantur Mentes.
Acsi frustra reuelaret riuulos, rimas, laticesque: plenum ac inexhaustũ velans.
Ocæanum virtutis.

Prodigiosus sanè Promethæus!
Cælestem non cælauit ignem, sed suorum inflammans corda,

 Inflam-


Deuotionem, Obseruantiam, Legesque.
Primariam Rerum Diuinarum solicitudinem, in pectore gerens.
Nunquam nisi voto præmisso, opus aggreditur, arbitratus nil bene operaturum, indeuotum.
*Solam Religionem, virtutum solidam Basim, approbans,*
Inter Vestales MARIÆ, Virgines; Ignē auxit: Nummâ, & Macedone ardentior!
Quoties expectaueras Sacrificantem Carmele,
Moysen pro Populi salute desudantem, toties spectare licuit.
Nihil meditantem anxiùs,
Nisi Legum, Cultûsque Diuini, Integritatem pristinam.
Benedixisti etiam Altissime Deus!
Tuo inquam Benedixisti Aaron!
Quod optauit, obtinuit, quod cæpit perfecit, iuxta votum,
Parentis Patriæ in Filio Amor.
Quid non felicissimum Pareret?
Vetustissima Ethnicorum, detestamur testimonia; Testis oculatus adesto,
OBSERVANTIÆ VIGOR.
Ne glorieris Agæsilao, & Erechteo, tam insolenter Græcia;
Græca tibi in conspectu nostri Senatûs, adhibetur Fides.
Potiùs commendatam, sæculis æternis Patriæ Charitatem.
In CHARZEVIO, manda immortali gloriæ.
Nec argumenteris prolixiùs, Quia prior Filium, Filiam posterior Hostias libauerunt.
Vt imminenti discrimine liberarent Patriam,
CONCLVDE.
Maioris augmenti Patrem nostrum, protulisse Exemplum,
Qui Animum, Animamque; imò se suaque Patriæ: Paternæ scilicet Religioni
Litauit.
Scias: *Pretiosa non comparari vilibus*, ex hoc Prototypo.
Vt salua Maris gratiarum, appareret Gemma, videlicet Patrius Obseruantiæ splendor,
Procellosi maris angustias, mente augustâ peruasit.
Nulli animosiùs incumbens lucro; quàm publicæ Integritati.
O FAVENTIA CARMELO SYDERA!
Vos potissimùm cum suo obseruâstis, Auctore.
Quot suspiria, & stillantibus oculis, gemitûs: Cælo præmisit, ne Carmelus amitteret;
Quidquam pristini Decoris.
Testare itinerantibus Sociale Periculum!
Dum non curiositatis causâ, cum Diomede, aut Apollonio, solis mensam visurus;

Arctoos, Aquilonares, Eoosque inuiseret soles:
Barbaras Roxolanorum Oras; Agrestes Littauorum cunas, imperuios Sarmatiæ anfractûs:
Penetraturus Obseruantiæ statum, penetrauit.
Certè vltimas Gades, Thulenq; remotam aditurus, nisi abfuisset necessitas.
Fatetur iniuriosum æui nostri tempus,
Quantis perstringebat pectus inuictum, rumoribus, hinc, & inde, hostilitatis arma minitando,
Vt remoraretur Zeli Propositum.
Sed quem nec Cæli inclementia, nec insidiarum terror, nec firma in infirmitate animi valetudo,
Nec si fractus illaberetur Orbis, Officio terruit: Hunc neq; importunum tempus deuicit.
*Et si det Theseus, pro caris corpus Athenis*, vel *Codrus animam, non timidus pro Patria mori*:
Reddidit vtrumq; pari amore, & studio, suus Carmelo Pastor.
Cæterùm *Periculosæ plenum Opus aleæ*,
Sine comitatu tractandum minime ratus; cælitùs associatas Augusto Regimini salutauit socias.
Venerari omnibus apertè licuit
Plusquàm humanam, in agendis Prudentiam.
Propè Diuinam, in Consilijs Sapientiam.
Astream, sine Nemesi vindicantem Carmeli gloriam.
Porro quæcunque à se gesta sunt
Plus certò Prienensi pollere probitate, adeò comprobant,
Vt dubium sit; Hac ne tantum? *validis ne potentior armis*, exarmatus ferocitate animus,
Ad Numinis amussim, Heliadum animauit Nomina.
Anticatones nemini vnquam scripsit.
Illius ex asse hæres, *Esse & Fideli tutam silentio mercedem* vbique.
Alioquin virtutis Paternæ æmulator existens,
Cum Cæsare, non speciminis speciem, sed imaginem, cum Alexandro præstitit.
Vtramq; Fortunam satis reuerenter habuit.
Quando fortitudine & Constantiâ reueritam adornauit.
**Id laudis maximæ ducens, si anonymus in omnibus, Deum rectefactorum testem haberet.**
**FORSAN TAMEN**
Augusti, Alexandri, vel Titi liberalitas, quidpiam habebit,
Quo nostrum superet Columen?
Neç quidquam.
*Illiberales Principum dexteræ, quibus deest liber Tyrannidis, vitiorumq. animus.*
ESSE

ESSENORVM IN SARMATIA PRINCEPS,
Solus omnino liberalis, quia liber est.
Petitam ab Elia Orbi exusto Pluuiam, satis audissimè expectauit Syria;
Impetita, tot liberalissimis consiliorum muneribus; Cœnobia Carmelitarum, iam irriguos dimanasse in Fontes, stupet, & spectat Sarmaticus Orbis,
Impertiente imbres, liberali Principe CHARZEVIO.
En Tibi qui legis exemplum:
Vanò laudatur Sacer Metelli ausus, qui incendio absoluit Palladium,
MARTINVM si aspexeris, Martem pro Pallade certantem in Arena
Auro respicies.
Admirandam à tot Seculis Matrem.
Vt ita erudito poplite, Diuinissima Pallas, veneraretur faciliùs
Liberâ Ruderibus eripit dexterâ.
Ni mauis verius dicere,
Dextrâ Liberalitate?
Quin Potiùs
Hanc inæstimabilem Gemmam, Publicæ faciendo vtilitati,
Tot in Arenam congessit Margaritas, quot diuulgauit Miracula.
Et ita sterilem, infæcundam, in Hydaspem, Pactolum & Gangem transmutauit
Polono Orbi, aurifodinam in Arenis mutuando.
HINC
Palæstræ suæ præsentissima Pallas
DIVA VIRGO ARENENSIS CARMELITANA,
Ad id exercitium Tyrones euocat in Arenis,
vt cum gratijs conuocent Animos.
Dignissimo Palæstritæ Eucharisticam oblaturos lauream.
QVAPROPTER
Optimi Conciues Carmeli, celeriùs adeste!
Opima triennali Curæ, animorum reddituri trophæa!
Curauit nempe Gentem suam, & liberauit eam à perditione honoris
Mucrone in offenso Charitatis,
PROVINCIALIS CHARZEVIVS.
In cuius laudibus, tu quoque Diuine Cynæa, obliuiosus ac elinguis putareris
Computando in vniuersùm omnes.
Simulac etiam,
Paulò immodestiùs eas loqui, vetat
Tua DECVS CARMELI modestia.
Quanquam dignitas meritorum, benè mereri è contra Tuis
de Virtutibus suadeat,

Quæ in Veterano Tyronibus, in Patre Filijs, in Duce sequacibus,
Ingenti sunt incitamento.
Quod si *Præteritæ gloriæ memoria, stimulus est ad futuram*,
Certo Charitatis Iudicio, Indicioque:
Paridis redoleremus ingratitudinē; Parem meritis negando gratitudinē.
Præcipuè
Cum Te in tanti officij, magnis anfractibus, infractū viribus vitâq;
videmus: Eodem ferè puncto, metam attingentem, quo etiam votorum nostrorum, collimant mentes.
Ergo terminus esto.
Debitum Honoris, Amorisque Eucharisticon.
Atq; cum experimento tetigimus, Non citra pulueris tactum, Hoc Triennalis Officij absolutum certamen.
Certatim mentis submissæ reddimus gratiam.
Quoniam verò, Priuatum meritum, commune feceris gaudium,
communiter concepta, Grati persoluimus Vota.
Nunquam soluturi labores.
Te inuictum pro se agnoscens Prouincia,
Victa Tuis virtutibus, gratitudinis herbam, palmamq; porrigit.
In Flore Te Topiario se intelligens, vernans Carmelus.
Verè Tuis Successibus, Ver diuinitùs fauere, præintellexit.
Tamen vbi profusiora Charitatiui sudoris, dimanârunt flumina.
Ibi intensiori, feruentes calore, Gloriæ Tuæ applaudunt lumina.
Vt inde laboriosus officij Tui, atterminetur Cursus,
Vnde inchoauit Principium.
Et licet nusquam.
*Digna Beneficijs expenditur merces.*
Saltim indignos, hinc censoria, non posteritas censebit,
Quando dignum Tuis Virtutibus,
CONSECRAMVS
EVCHARISTICON.

*A. M. D. G.*




Biblioteka Jagiellońska
stdr0002104